Jahresbericht,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung der Zöglinge

und der

feierlichen Entlassung der Abiturienten

des

Königlichen und städtischen Gymnasiums zu Liegnitz,

welche

Mondtag den 6. und Mittwoch den 8. April 1857

in dem

grossen Hörsaale der Anstalt

stattfinden sollen,

ehrerbietigst und ergebenst einladet

Dr. Eduard Müller,
Director des Gymnasiums.

Vorausgeschickt ist als wissenschaftlicher Theil des Programms eine Abhandlung:

De Terentii fabulis post Rich. Bentleium emendandis.

Von dem Prof. Dr. *Jul. Brix*.



Druck von W. Pfingsten in Liegnitz.

De Terentii fabulis post Rich. Bentleium emendandis.



Elegantissimae Terentii fabulae ut perquam studiose litterarum renatarum tempore et in scholis legebantur et a viris doctis tractabantur, ita postquam Bentleii ingenio paene divino solidum fundamentum et artis metricae et crisis Terentianae iactum est, nemo ad nostram usque memoriam extitit, qui quod magnus ille Britannus inchoasset, ad certum finem adduxisse dici posset. Ac qua quidem via, quae Bentleius aut peccasset aut reliquisset, supplenda et rectius constituenda essent, docuit God. Hermannus ea dissertatione, quae nunc alteri opusculorum volumini inserta est, sed qui post eum ad Terentium accesserunt, eorum plerique cum a Bentleiana ratione iterum desciscerent, perraro in emendandis poetae versibus aliquid profecerunt. Quapropter omnium votis expetuntur Ritschelii et Fleckeiseni curae. Interim nos ne plane otiemur, pro re tenui nostra veluti operarum loco materiem et caementa congerere in animum induximus, quorum si aliquis architectis illis usus fuerit, non inutilem operam suscepisse videbimur. Ut autem perspiciatur, quid Bentleius posteris efficiendum reliquerit, quid ipse absolverit, quo denique loco sit hodie crisis Terentiana, unum aliquod illius emendationum genus dedita opera per unam fabulam, quam Andriam volumus esse, persequi placet.

Anceps est et lubricus locus de ictu metrico diligenter ut Bentleio quidem visum est consociando et cum grammatico et cum logico accentu, quae res quas habeat cautiones nuper admodum subtiliter capite XVI. prolegomenon Trinummi a Ritschelio expositum est. Qui quod Bentleium legem illam praeclare indagatam aliquotiens ad paullo severiorem normam quam par fuerit exegisse nimio concinnitatis studio iudicavit, ut quam recte iudicaverit existimari possit, insigniores versus quos Bentleius eo nomine mutavit nunc percensebo. Ac quod Andriae I, 1, 72.

Quid vérbis opus est? hác fama inpulsús Chremes
Ultro ád me venit —

fáma hac potius pronuntiari iussit, in eo suae ipsius legis immemorem fuisse magnum virum facile perspicitur: nam cúm hac fama Simoni sit idem quod tam magna fama attributique notio potiorem vim habeat, non potest non accentum logicum in se pronomen recipere, in quod cum etiam metricus ictus incidat, et poetae arti et ipsius Bentleii praecepto egregie satisfieri apparet. Eadem argumentatione tueberis et Andr. 1, 1, 54 verborum ordinem in libris servatum hánc dextram oro et Adel. 3, 2, 14 Bembini scripturam (quam attulit Coquelinus alia testante Faerno):

Ut ego hánc iram in eos évomam omnem, dum aégritudo haec ést recens.*)

Neque mutabis Hec. 5, 1, 30:

Fáciam, quod pol si ésset alia ex hóc quaestu, haut facerét, scio

verens enim dicere ex meretricio quaestu Bacchis dicit ex hoc quaestu, sed intendens pronomen; quaestus autem eo magis in thesi esse poterat, quod non primum inferebatur ea notio, quam iam versu nono et cum ictu quidem ex vera Bentleii transpositione habes. Similia in omnibus libris et scriptis et editis leguntur haec: Andr. 2, 2, 33 túa opera. Eun. 1, 2, 91 haéc facta. Adel. 1, 1, 1 hác nocte. Hec. 3, 5, 26 méa culpa. Sed ibid. 1, 1, 16:

Aut quá via cáptent te ílli, eádem ipsós capi

Bentleii est versus, non Terentii, qui contractum via et distractum eadem (trisyllabos) numquam in eodem versu posuisset, pro quo vide quam venustus prodeat versiculus ex Bemb. Victor. intempestive a Bentleio spretis:

Aut quá viá te cáptent, éadem ipsós capi

et iisdem ictibus redit qua via Hec. 4, 1, 54.

Neque, ut redeam ad Andriam, versus 1, 1, 85:

Quid si ípse amasset? quíd hic mihi faciét patri?

rationi repugnat, quoniam ubi arsis solvitur ad utramque syllabam eius vim pertinuisse et per se intelligitur (cf. Ritsch. prolegg. Trin. p. 258) et exemplorum multitudini credendum est. Quare h. l. quid et hic arsis vi eriguntur. Ceterum etiam insolens est et a consuetudine abhorrens verborum ordo a Bentleio commendatus: quid mihi hic faciet patri?

In eadem scena v. 116:

Quid fácias illi, quí dederit damnum aút malum

cur nihil habeat molestiae ultima in dederít acuta, allatis tribus ex Mil. Glor. exemplis enucleavit Ritsch. prolegg. Trin. p. 213. Dederít qui, quod Bentleius voluit, non magis umquam dictum est quam daret ut et consimilia.

I, 5, 1: Hocinést humanum fáctum aut inceptum? hócinest officiúm patris?

---

*) ubi verborum ordo haec est recens contra Bentleium est haéc rec. novantem defenditur versu Phorm. 2, 3, 2 audístis factam iniúriam quam haec ést mihi? quo loco etiam Adel. 2, 2, 4 optimorum librorum scriptura firmatur: quam haéc hodie inter nos fuit. Bentl. hódie quae inter nós fuit, sed quae in optimis codd. non est, hodie non necessario praeponi vel acui ex Hec. 3, 3, 26 perspicitur.

Sic quicquid est ubique librorum: Bentleius tamen in repetitione (hocinést, hócinest) accentum variari aegre passus partim coniectura usus partim Donati non satis idoneo testimonio totum versum trochaicum effinxit hunc:

Hócinest factu humánum aut inceptu? hócinest officiúm patris?

Sed nihil mutandum, quod enim Bentl. in Andr. I, 2, 18 consuetudinem et rationem postulare ait ut verba quae repetantur eodem accentu pronuntientur, rationem quidem quam Bentleius sibi scire quam nobis tradere maluit in utramque partem valere docuerunt Car. Lachmannus in Propert. p. 111 et God. Hermannus Opusc. II p. 283 (probantibus Ritsch. proll. p. 206 et Fleckeis. epist. crit. p. 21), consuetudinem autem non repugnare variationi ingens exemplorum numerus evincit, quorum aliquot Bentleii emendationibus liberanda videntur:

I, 5, 42 Set vim út queas ferre :: ádeon me ignávóm putas?
Adeón porro ingratum aút inhumanum aút ferum?

Nihili facienda Bentleii commenta; vim non minus extolli praepositum quam metrico ictu affectum infra ostendam, hiatus (omissus ab Ad. Liebig. in diss. de hiatu in versibus Ter. Vratisl. 1848) post ferre et a maiore interpunctione et a personae mutatione idoneam habet excusationem; aut in comicorum poetarum sermone non semper subtili notionum distinctioni inservit, sed res saepe maxime cognatas infert, quum is qui loquitur prae magna animi commotione vix habens quo se vertat verba verbis cumulat, ut in illo hocinest humanum factum aut inceptum? et Eun. III, 5, 7 quid gestiam aut quid laetus sim, ibid. v. 17 quid praedicem aut laudem et I, 2, 24 sin falsum aut vanum aut fictumst, continuo palamst, ubi Bentl. non rectius aut-aut sustulit quam in Andriae versu et Phorm. V, 1, 1 cuius specie Faerniana ad amussim Bembini exemplum exprimi Coquelini testimonio docemur.

I, 5, 30 Set núnc peropus est, aút hunc cum ipsa aut mé de illa advorsum húnc loqui.

aut-aut variato accentu ne Bentleium quidem male habuisse opinor, sed attuli hunc versum, ut monstrarem quam facilis esset et eius emendatio et vera numerorum descriptio. Nihil mutavi, nisi quod aliquid, quod in libris est ante de illa, cum Bentleio expunxi; continuavi iambicum metrum, quod ille uno trochaico versu temere immixto turbaverat.

II, 3, 8 Aliquam causam, quám ob rem eiciat óppido :: eiciát? :: cito.

Bentl. sic: áliquam causam, quámobrem eam oppido eíciat :: eiciat? :: ác cito, triplici mutatione illata recte vituperatus a Lachm. in Lucret. p. 116 ob dactylicum vocabulum (eíciat) trochaei loco in versu positum. At sanam esse tralaticiam scripturam alteroque loco pronuntiari eíciat, altero éiciat, quatuor utrumque syllabis, satis hodie notum est, cf. quae pueris praecepit Maur. Hauptius in Ovid. Metam. I, 184. Vera etiam de ancipiti prima syllaba verborum conicio obicio etc. docuit Fleckeis. in censura Plauti Ritsch. inserta Jahn. annalibus 1851, tom. LXI p. 20.

II, 4, 1 Revíso, quid agant aút quid captent cónsili.

Bentleius, ut quid utrobique in arsi esset, aut deleto de suo scripsit: quidve captent consili. Non in artem peccare librorum scripturam ex gemello Mercatoris Plautinae versu 120 disci poterat:

Caraést, negoti quíd sit aut quid núntiet : : nugás ago.

IV, 1, 19 Itáne inprudens? tándem invéntast caúsa. solvistí fidem.

Quíd tandem? : : etiam núnc me dúcere istis dictis póstulas?

Bentl. quid ita tandem quae emendatio ut supervacanea ést, ita displicet propter simile itane inprudens in versu proximo. Sed tandem stomachose repeti etiam solo quid praemisso perspicitur ex V, 3, 19, ubi Pamphilo mi pater blandienti pater acerbe regerit Quid mi pater? Etiam Eun. III, 5, 56 ubi Antipho quid tum? quaerit, Chaerea indignabundus de more repetit quid quid tum? nec debebat Bentleius transponere quid tum? quid.

IV, 1, 41 Factum hóc est, Dave? : : Factum : : hem, quid aís, scelus?

Bentleius ex antiquioribus suis libris factum ést hoc, fortasse vere; deinde ex uno Petrensi factumst hiatus tollendi causa scripsit. Sed hiatus satis excusatur et interpunctione et personae mutatione; adici autem verbum substantivum ne potuisse quidem in tali repetitione tum ea persuadent, quae Ritsch. proll. Trin. p. 111 disputavit, tum constans Terentii usus, cf. Adel. IV, 2, 22. Hec. III, 5, 2. V, 4, 6. Phorm. III, 2, 39. Heaut. III, 3, 7. Eun. IV, 4, 40 et V, 2, 12, nam Adel. III, 4, 2 et Phorm. V, 9, 17 ad id genus pertinent, in quo adiectionem verbi esse necessariam esse demonstravit idem Ritsch. ibid. p. 107 sqq. Semel plena sententia apud Terentium legitur Hec. III, 2, 22 ita factumst. Eodem modo certumnest? quaerenti certum alter respondet, ut Plaut. Stich. 613. Poen. II, 18. Ter. Adel. III, 2, 31 (ubi teste Coquel. his oculis Bemb., in reliquis omnibus hisce legi videtur), vel certa res ut Plaut. Stich. 473, qua re ibid. 482 Ritschelio praeter consuetudinem est addenti iure suo Flekeisenus obsecutus non est. Ceterum ictus variationem in voce factum aut non animadvertit Bentl., aut concoxit, ne vitio tollendo impar esse ingenium suum fateretur: etiam III, 2, 12 patienter hunc versum tulit:

O Dáve, itán contémnor abs te aut ítane tandem idóneus.

Nec mutavit Hec. III, 3, 15. Adel. IV, 5, 56 ubi Bemb. teste Coquel. mihi ipsum cum Bentleii libris et praeterea proloqui pro dicere.

Sed I, 5, 29 recte accentu non variato rescripsit:

Incértumst, quid agam : : misera timeo, incértum hoc quorsus áccidat.

nam quod formam quorsum, quae videtur (pro certo enim hoc nisi de uno Halensi libro pronuntiari non potest) omnium librorum fide niti, sic tueri volunt, ut cum hiatu post timeo recitetur íncertum hóc quorsum áccidat, id propter hiatum in media sententia vix tolerabilem et satis invenuste positos ictus parum habet commendationis. Ut autem properantius a Lingio de hiatu in verss. Plautt. p. 41 formam s littera terminatam a Plauto abiudicatam esse Ritschelii thesauris reclusis hodie satis intellectum est, ita multo minus Terentium promiscue utraque forma usum esse negabitur.

Heaut. III, 3, 17 Set nóstrum est intellégere, utcúmque atque úbicumque opus sit, óbsequi.

Bentleium cum male ureret et asyndeton aptissimum et variata pronuntiatio utcúmque úbicum-

que aliud idque molestum asyndeton invexit hoce: atque útcumque, úbicumque opus est, obsequi. Ceterum sit in tali sententia multo rectius dici quam est, nemini hodie obscurum (cf. Hec. IV, 3, 2), qua propter nec h. l. nec Andr. IV, 3, 21 recte Bentl. est reposuit pro sit.

Adel. II, 2, 29 Hocine íllo dignumst? hócine incipere Aéschinum?

Miro casu in hoc versu idem illud hocine variato ictu patienter tulit Bentl., quod Andr. I, 5, 1 ferendum non videbatur. Sed-ne id quidem offensioni est, quod hocine in eodem versiculo primam corripit, deinde producit, cf. Adel. IV, 5, 73

Quid hoc ést negoti? hoc ést patrem esse aut hóc est filium esse?

Quare inutilis Bentleii correctio: hócine inceptare Aeschinum.

Phorm. I, 4, 33 Sátin sic est?:: non:: quid si sic?:: propémodum:: quid si síc?:: sat est.

Bentl. sátin est síc? qui verborum ordo ipsi naturae repugnat, non magis enim satin et sic utrumque extolli potest quam in nostro sermone: ist's gut so? Ut Romani, sic nos quoque dicimus ist's gut so? deinde variato accentu: wie, ist's so gut?

ibid. III, 3, 20 Víde si quid opis pótes adferre huic:: Sí quid? quid?:: quaere óbsecro.

Bentl. víde opis sí quid quod parum facilitatis et nescio quid affectati habet. Suspectum autem mihi est pótes pro pyrrhichio positum, quum aequet iambi mensuram, quare vide ne sic dederit poeta: pótis es ferre huic.

Ex his locis, quibus alii addi possunt perperam a Bentleio tentati, satis opinor intellectum erit potuisse ictum in repetitione variari: plenior autem lectio comicorum poetarum in ipsa variatione gratiae et leporis tantum infuisse docet, ut cum frequentissima sit haec species:

'Aperite hoc, aperíte. Heus, ecqui his fóribus tutelám gerit?
'Aperite hoc, aperíte propere et Lésbonicum, sí domist. Trin. 870. 1174.

multo rarius legatur talis versus (Heaut. I, 2, 18):

Quid nárrat?:: quid ille? míserum se esse:: míserum? quem minus créderes?

(sic recte Bentl. pro se miserum esse ex omnibus suis libris, a quibus ne Faernianos quidem discrepare suspicor; crederes autem satis probabiliter pro credere est coniecit Lachm. in Lucr. p. 297) vel talis (Mil. Gl. 317):

Quíd negotist?:: quíd negoti sít rogas?:: Quor nón rogem?

cuius aequabilis repetitio non sine aliqua tarditate et languore ad aures accidit: contra magna vis est eiusdem accentus servati in Stichi versu 146:

Núnc places, quom récte monstras: núnc tibi auscultábimus.

Ex quo versu vel lusco apparet, quam recte God. Hermannus eundem requiri accentum dixerit, quum verba eodem sono, eadem vi et potestate efferantur, mutato autem sono et variata pronuntiatione accentu quoque variato opus esse.

Andr. III, 4, 3 Ego dúdum non nil véritus sum, Dave, ábs te, ne facerés idem.

Bent. ne Dave in thesi deprimatur legi iubet véritus sum ábs te, Dave, ne f. i., fortasse vere, sed habet tralaticia scriptura, quo se tueatur. Quod cum sit coniunctum cum natura iambicorum

tetrametrorum versuum, paullo altius repeti oportet. Duplex enim est octonariorum plenorum iambicorum genus, utrumque his sex Amphitruonis Plautinae versibus (1073—78) contentum:

Qui ante aédis nostras sic iacet? | numnam húnc percussit Júppiter?
Credo édepol. : nam pro Júppiter | sepúltust quasi sit mórtuos.
Ibo út cognoscam quísquis est | Amphítruost hic quidem méus erus.
Amphítruo : : Perii : : Súrge : : Interii | : : Cédo manum : : Quis mé tenet?
Tua Brómia ancilla : : Tímeo totus, | íta me increpuit Júppiter.
Nec sécus est quasi si ab Ácherunte | véniam. set quíd tú foras.

Jam vide mihi quid inter utrumque genus differat: priores tres versus caesura post quartum iambum illata (iambicam possis appellare) in binas pares partes ita dispescuntur, ut ex binis dimetris constare videantur: utriusque autem dimetri primum pedem omnem eam licentiam in se recipere consentaneum est, quae cuiusque rhythmici ordinis initio concedi solet. Verissime enim praecepit Ritsch. proll. Trin. p. 255 sq. „eius loci natura ea est, ut, quoniam ibi vox exorditur, naturali necessitate quadam pronuntiandi non eleventur verba, sed extollantur, etiamsi ictus numerorum, ut in iambicis, non accedat.“ Hinc quum Andriae versus ille secundum librorum scripturam iambicam habeat caesuram, etiam Dave, ut alterius hemistichii et quasi novi versus initio positum non caret quodam pondere, quamquam insignem vim sane per sententiam habere non potest. Nec magis Andr. IV, 2, 8 ictum Dave recipit: Quantum huíc promoveo núptias : : Dave, áttamen : : quid érgo? aut eodem versus loco vide, cave imperativi, etsi non sine aliqua gravitate efferuntur, II, 3, 25. 29.

Alterum iambicorum octonariorum versuum genus post quartum trochaeum infert caesuram (trochaicam dico), quam quidem speciem et illi ex Amphitruone allati tres posteriores versus referunt et is quem Bentl. in Andria praeter necessitatem effinxit (qui etiam Adel. II, 1, 30 non debebat in caes. iamb. offendere

Si sátis iam debacchátus es, | leno, aúdi, si vis núncïam).

Jambica autem caesura praeditum esse Andriae versum inde est maxime verisimile, quod plerumque plures eius generis versus sese excipiunt, id quod ipsius illius scenae initio factum cernitur:

Cur úxor non accérsitur? | iam advérberascit : : Aúdin?
Ego dúdum non nil véritus sum |, Dave, ábs te, ne facerés idem,
Quod vólgus servorúm solet, | dolís ut me delúderes : :
Proptérea quod amat fílius. | : : egon ístuc facerem? : : crédidi.

Et animadverte quaeso, quam convenienter, cum proxima scena iambicis septenariis finiatur, ab his ad cognatos octonarios transitus fiat: nam ut iambici octonarii cum trochaica caesura, si, ut in hoc genere par est, non digitos sed aures adhibemus arbitros, prope absunt a trochaicis septenariis, ita iidem cum iambica caesura iambicorum magis naturam septenariorum imitantur, unde non mirum est, in caesura etiam hiatum et syllabam ancipitem concessam iis fuisse. Et Plautum quidem hiatum admisisse praeter alios hi versus testantur: Amph. 211. 262. 1000. Bacch. 930. 933. 941. 942. Ancipitem in caesura syllabam praestant haec exempla:

Amph. 153. 203. 207. 988. 999. Bacch. 934. 947. 974. Pseud. 151. Stich. 296 et multa alia. Non sanus est versus Amph. 157 quem cum contiguo sic exarari iussit Fleckeisenus:

Nec caúsam liceat dícere mihi néque in ero quicquam aúxili
Siét nec quisquam sít quin me omnes ésse dignum députent.

At ferri nullo modo potest prorsus praeter Plautinam artem (Terentium enim minus in hoc genere diligentem esse constat) in alterum versum impendens sit, ac nisi, quod God. Hermannus suspicabatur, maior quaedam subest corruptela, haec Plauto non indigna videbitur scriptura:

Nec caúsam liceat dícere neque míhi quidquam auxilí siet
In eró neque quisquam sít quin me omnes ésse dignum députent.

Prioris versus caesura est iambica cum syll. anc., alterius trochaica. Illud tamen in hac licentia religiose observatur, ut iambicus pes ante caesuram purus sit neve aut anapaestus aut spondeus eius vice fungatur: hinc noli dubitare, quin corruptus sit versus Pseud. 170 ab utroque novissimo editore sic exhibitus:

I púere prae: crumínam ne quisquám pertundat, caútiost.

Ac cum libri habeant: I puere prae: ne quisquam pertundat crum., sic potius numeri turbati reconcinnandi videntur:

I púere prae: ne quís pertundat tíbi cruminam, caútiost.

ut caesura sit post quartum trochaeum. Ceterum puere forma non Plautus solum, sed bis etiam Terentius usus est Eun. IV, 1, 10. Hec. IV, 4, 97.

Vóluit facere cóntra huic aegre: heus, ínquit, puere, Pámphilam
Faciam, út mones. eho, púere, curre ad Bácchidem hanc

ubi Bentl. immemor eius formae suas adhibuit machinas ad numeros restituendos.

Terentius, si Bentleiano exemplo credimus, nec hiatum post iambicam caesuram nec syllabam ancipitem admisit: et de hiatu concedo, etsi eius ope possit quis Faerni librorum scripturam tueri Adel. II, 4, 17:

Heus, heús, Syre : : ehem quid est? : : óbsecro | hercle, hóminem istum inpuríssimum

tamen cum duo Bentl. libri hercle te praestent iisque Vaticanus Coq. teste et Hal. libri accedant, Bentleium sequi tutissimum videtur. Nec ibid. V, 8, 24 librorum scripturam cum hiatu defendo:

Quid núnc? quid restat? : : Hégio | est hís cognatus próxumus.

cum, praeterquam quod unum exemplum vix satis hiatum tueatur, in eo ipso versu nimium quantum displiceat. Sed ancipitis syllabae octo, nisi me oculi fefellerunt, exempla exstant haece: Andr. III, 4, 5. III, 5, 7, Adel. III, 2, 50. IV, 4, 11. Hec. V, 4, 36. Phor. II, 1, 18. IV, 5, 15. V, 5, 2.

Proptérea quod amat filius : : egon ístuc facerem? : : crédidi.
Qui súm pollicitus dúcere? neque quá fiducia id aúdeam.
Postrémo quando ego cónscia mihi sum, á me culpam esse hánc procul.
Accédo, rogito, Pamphila quid agát, iam partus ádsiet.

Quantum hódie profueris mihi, et ex quánta aerumna extráxeris.
Meditáta mihi sunt ómnia mea incómmoda, erus si rédierit.
Rogábo. Ubi illas núnc ego reperíre possim cógito.
Curávi propria ut Phaedria poterétur: nam emissást manu.

V. 2 sic correxit Lachm. in Lucr. p. 116, ne dactylicum vocabulum pro trochaeo haberetur. Sed nondum persanatus versus videtur, cum multo magis quam dactylicum vocabulum displiceat invenustissimus dactylus ante ultimum creticum. — v. 3. Bentl. ut caesuram trochaicam efficeret verborum ordinem immutavit. — v. 4 idem ex duobus libris iamne invexit. — v. 5 idem et me ex, sed me abest ab optimis Faerni codd. — v. 7 et 8 Bembini scripturam a Bentleio repudiatam secutus sum.

Ferri non potest ob turpes ictus vulgatus verborum ordo Andr. III, 4, 17:

Ego véro solus : : córrigére mi gnátum porro enítere.

ubi bonos ictus facili negotio sic restituas: míhi corrígere.

Neque ib. IV, 1, 26 sanum esse vitiosus ante caesuram pes docet:

Quantásque hic suis consíliis mihi confécit sollicitúdines.

ubi quod Jos. Kraussius in commentatione de iamb. tetr. Mus. Rhen. VIII. 4 inserta p. 558 suis eiecit, non laudo, quia pronomine careri tum demum potest, si aliud opponitur, veluti Adel. I, 2, 46 natúra tu illi páter es, consiliis ego. Qua re vide ne consiliis ab librario aliquo pro rariore vocabulo intrusum sit, ut technis (vel potius techinis), turbis, fabricis: nihil enim in tali numerorum specie displiciturum sit:

Quantásque hic suis techinis (fabricis) mihi confécit sollicitúdines.

Porro III, 5, 5 Posthác incolumem sát scio fore me, núnc si devito hóc malum

quamquam bonus est octonarius cum troch. caes., tamen nescio an iambicam caesuram, quam habent et antecedens et insequens versus, sic levi transpositione efficere praestet:

Posthác me incolumem sát scio | fore, núnc si devito hóc malum.

Quod enim iam supra animadverti, solent octonarii cum iamb. caes. non singuli poni, sed bini aut terni continuari, veluti in eadem scena verss. 13. 14 (ubi quo fretus sim, qui me hodie in nuptias coniecisti, non recte explicavit Bentleius, quum hoc dicat Pamphilus: auf wen hätte ich da gebaut (wenn ich's thäte), der du mich ja ꝛc.

Adel. II, 2, 12 recte transposuit Kraussius;

Numquám rem facies: ábi, inescare néscis homines, Sánnio.

ubi libri nescis inescare caesura pessumdata.

ibid. II, 1, 34 vulgatam scripturam a Ritsch. defensum iri Kraussius pollicitus est.

Haec etiam post Kraussium de iambicis octonariis monenda putavi. Redeo ad eos versus, in quibus Bentl. propter ictum non recte positum librorum scripturas mutavit. Lenis videtur transpositio, qua adhibita Andr. I, 5, 27:

Tum pátris pudor, qui mé tam leni pássus est animo úsque adhuc,

pássus ánimo est dedit, ne animo in thesi lateret, sed non necessaria: nam satis erat léni esse in ictu, utpote notionis pondere insigniorem vocem, animi notionem satis exilem praestabat supprimi quam intendi: in multis autem versibus eandem et Plauto et Terentio placuisse videas rationem, maxime ante ultimum versus iambici aut trochaici creticum cf. Pl. Mil. Glor. 706. 1381. Ter. Adel. I, 1, 8. 26. 43. III, 4, 58. Hec. III, 5, 22. V, 1, 21. Andr. V, 3, 12. Eun. III, 2. 37. Phorm. V, 9, 31.

Núnc bene vivo et fórtunate atque út volo atque animo út lubet
Me quaérit illic: íbo ego huic puero óbviam.
Aut téte amari aut pótare atque animo óbsequi.
Do, praétermitto, nón necesse habeo ómnia
Mea síc est ratio et sic animum inducó meum.
Tam máxume vos aéquo animo aequa nóscere.
Quám fideli animo ét benigno in íllam et clementí fui.
Nám neque ille hoc animo érit aetatem néque pol tu eadem istác aetate.
Olim ístuc, olim, cum íta animum induxtí tuum.
Hominés: nam qui huic animum ádsentari indúxeris.
Quámobrem te oro, ut ália facta túa sunt, aequo animo hóc feras.

Ex his satis apparere puto nec v. 2 cum Ritsch. puero huic (nam Fleck. retinuit librorum scripturam) nec v. 10 cum Bentl. adsentari animum esse transponendum. Illud vero vel me non monente senties, quam arti convenienter v. 11 efferatur aéquo animo hóc, et quam parum concinne transposuerit Bentl. túa sunt fácta, aequo ánimo et hóc. Immo aequo, in quo vis est sententiae, in arsi sit necesse est, animo potest thesin pati. Nec constitit sibi Bentl., qui et Hec. III, 3, 29 animo (ceterum duas prorsus supervacaneas inferens mutationes) in thesi esse passus est et Adel. IV, 2, 4 cum in plerisque libris in fine troch. tetr. invenisset quín tu animó bono es, sic in thesi collocavit animo: quín tu bóno animo es, quod etsi etiam Eun. I, 2, 4. Adel. II, 4, 20. IV, 5, 62. Mil. Gl. 1143 legitur, tamen et illud variatur itidem in fine troch. tetr. Mil. Gl. 1206. Aulul. IV, 10, 2. Cistell. I, 1, 75. Omnino autem quanta in hoc genere placuerit variatio, ex hac congerie potest intelligi: bono ánimo fac sis (senar. init.) Adel. III, 5, 1. bono ánimo es (med. sen.) Heaut. IV, 6, 18; (med. troch. tetr.) Mil. Gl. 1342; (med. iamb. sept.) Asin. 638. ánimo sis bono (med. iamb. sept.) Asin. 726. bono habe ánimum (med. anap.) Mil. 1011. hábe animúm bonum (med. iamb. sept.) ibid. 1236. hábe bonum ánimum (med. troch. tetr.) ib. 1325. — Hinc nihil habeat quo offendat Hec. V, 2, 21:

Ob éam rem vin ergo íntro eam? : : i atque éxple animum iis ut crédant

nisi Bembini a Coquelino et Gepperto allata scriptura itaque (pro iatque) exple animum iis coge ut crédant tale potius alterum hemistichium fuisse moneat: i exple ánimum iis, coge ut crédant. Ubi enim i cum altero imperativo iunctum legitur, solet copula multo saepius omitti quam

poni, id quod observavit Fleck. in Jahn. annall. 1851 tom. 61 p. 18. I autem eliditur ut Menaechm. 952 initio troch. tetr. I árcesse et Poen. V, 2. 156 set i évoca illam, ubi libri et scripti et editi atque perperam interponunt.

Andr. I, 4, 52.

Set vim út queas ferre : : ádeon me ignavóm putas?

Bentl. corrigens ut vim, ne vim in thesi delitescat et simul elisione absorbeatur, eam legem nondum perspexerat, de cuius veritate innumerabiles comicorum poetarum loci persuadent, satisfieri arti, si potiores voces aut accentu logico, qui ex verborum maxime ordine suspensus est, aut ictu metrico extollantur. Quare quum opponuntur duae inter se notiones, alteram saepe metricum ictum recipere, alteram autem ita insignem reddi videas, ut, quemadmodum solent voces graviores, in fronte sententiae collocentur, veluti in Mil. Gl. versu 1124: Quin sí voluntate nólet, vi extrudám foras. Ubi cum opponuntur voluntas et vis, illud ictu metrico, hoc ipsa positione extollitur. Eadem ratio est Andriae versus, ubi Mysis ancilla non voluntatem Pamphili vereri se dicit, sed vim ut queat ferre. Etiam cum nulla est oppositio, maiorem aliquanto vim habet verbum in thesi relictum sed aliis verbis praepositum quam ictu metrico intentum, ut Eun. I, 1, 8: „Infécta pace ultro ád eam venies índicans“ potuit quidem ad eam últro venies, sed ad eam non tanti est momenti quod possit praeponi. Nec constitit sibi Bentl. in hoc genere: in multis enim versibus Andriae senario similibus rectius a correctura abstinuit ut Adel. I, 1, 42 Vi quód fit quam illud quód amicitia adiúngitur, etsi perfacile erat quod ví fit scribendo vi in arsim transferre. Hinc quotquot versus Bentl. hoc nomine corrigendos putavit, intacti sunt relinquendi, quorum quidem hos notavi:

Andr. V, 2, 26. II, 1, 35. III, 2, 36. Adel. II, 1. 54. Hec. V, 2, 3. Adel. IV, 2, 9. Hec. I, 2, 43. Andr. II, 2, 15. Eun. IV, 6, 2:

Osténdam, erum quid sít pericli fállere.
'Ego id agam, mihi quí ne detur : : sát habeo : : Davom óptume.
Hóc nisi fit, puerum út tu videas, níl moventur núptiae.
Sét nemo dabít: frustra egomet mécum has rationés puto.
Set cúm tu satura atque ébria's, puer út satur sit fácito.
Rídeo hunc: primum aít se scire: is sólus nescit ómnia.
Sesé senem esse dícere : illum autem únicum.
Líbero : uxorém tibi non dat íam Chremes : : qui scís? : : scio.
'Atqui si illam dígito attigerit úno, oculi ilico éffodientur.

v. 1. Bentl.: quid erum. — v. 2 idem: qui mihi. — v. 3. Bentl. tu púerum ut videas. Ceterum Ritterus non spurium potius hunc versum, quum sit sanissimus, pronuntiare quam recte intelligere debebat. Non enim Davus hanc suam esse sententiam dicit, id quod putabat Ritterus, sed mulierum i. e. Glycerii eiusque ancillae: illas, nisi puerum suppositum Simo suis oculis conspexisset, non motum iri nuptias credere Davus fingit. Nil moventur nuptiae autem est simpliciter: certae et fixae sunt nuptiae, nec satisfacit Donati, multo minus vero a Rittero laudata Ruhnkenii inter-

pretatio. — v. 4. Sic Bemb. spretus a Bentl. ob frustra in thesi depressum. Merito a Bentleii iudicio discessit Ritsch. proll. p. 119. — v. 5 es Bentl. coniecit simul et púer scribens neglecta in satur positione. Eris libri, quod vix sic tueare cum Lachm. in Lucr. p. 129: ébria éri', p. u. s. f. — v. 6 Sic Bemb., at Bentl. se prímum ait scire, se praeter rationem praeponens. — 7. Sic plane Bemb., et arti conveniens est, sese, quae sit primaria notio, primum locum sibi vindicare, senem postponi, in quo secundaria sententiae vis posita sit. — v. 8 Sic libri fere omnes, de quibus quae Faernus testatur perperam intellexit Ritterus: nam in illius quoque libris uxorem praeponitur. Neque scies cum Bentl. praefero codicum scripturae scio: Davus enim, magnifice se inferens ut qui Pamphilum gaudio expleturus esset, ludens hac voce saepeque eam ero ogganniens confidentiam suam ostendit, vide v. 9 quid timeas scio, v. 10 et quid tu scio, v. 11 et si scio; eadem magnificentia declaratur praefracta brevitate, qua v. 15 libero gloriatur. — v. 9 uno delevit, illi post oculi inseruit.

Andr. II, 2, 2 'Ut metum, in quo núnc est, adimam atque éxpleam animum gaúdio?

Bentl. ne metum totum in thesi subsidat, út metúm quo in n. e. scripsit, sed quo in non videtur dictum esse, neque in Curcul. versu a Bentl. allato 467 legitur loco quo in, sed quod est tritissimum quo in loco. Praepositionum anastrophae (de cum particula dicere supersedeo) haec inveni apud comicos exempla: Penes semel apud Terent. Hec. IV, 1, 20, septies apud Plautum (Aul. IV, 4, 27. Amph. 653. Trin. 822. 1146. Truc. I, 1, 4. IV, 4, 5 [ubi penest iunctim scribendum] Poen. V, 4, 15*) anastropham patitur. Inter semel apud Plautum Merc. 752, nec pluries per (Poen. prol. 13), pro Asin. 397, secundum (Mil. Gl. 1349 nos secundum i. e. hinter uns her), ad Bacchid. 176, advorsus ib. 127, bis ab (Asin. 119. Mil. Gl. 1047), ex (Epid. II, 1, 5. Asin. 765, quater propter (Rud. 496. Bacch. 1032. Aul. IV, 10, 56. Trin. 1164, nam Mil. Gl. 1086 Ritsch. propter quam dedit). Me propter ex Hec. V, 3, 35 laudat Bentl. in Eun. V, 8, 3 sed propter me habet in ipsa fabula, nec quidquam discrepantiae a quoquam notatum vidi. Erga bis aqud Terentium (Heaut. I, 2, 15. II, 3, 24; nam Hec. III, 3, 29 Bentleii coniectura nihil opus est), sexiens apud Plautum (Asin. 20. Capt. 245. 416. Epid. III, 3, 9. Trin. 1126. 1128). Hinc quum Terentius rarissime anastropha usus sit, et Adel. V, 3, 36 improbo, quod Bentl. quibus ex scripsit**) pro (signa) éx quibus, et multo minus placet in Andria illud quo in, a quo exorsi sumus, cuius mutationis ne causam quidem satis idoneam fuisse concedi potest. Verissimum enim est quod Ritsch. proll. p. 266 aperuit, „accentuum notionumque convenientiae poetas quan,

---

*) ubi anap. tetr. describendus videtur esse:

Per quém vivimus vitálem aevom, quem pénes spes vitae súnt hominum.

Quod libri post hominum habent omnium, ex dittographia ortum conicio, cf. Ter. Eun. IV, 6, 19 nemost hominum qui vivat, minus.

**) quod placere cuipiam possit ex quis, non magis Terentianum est, quoniam etiam Andr. III, 2, 32 qui praestat C. Reinholdi coniecturae quis, quo Plautus tantum bis (Amph. 44. Mostell. 1040) usus esse videtur.

tum possent studuisse; neque enim eosdem celandum est nonnulla vivae voci recitantium reliquisse praeter ictus numerorum acuenda atque extollenda." Multorum enim vocabulorum tempora ita sunt comparata, ut etsi praecipuum in versu pondus habeant, nullo prorsus artificio in arsim ea cogere possis, nisi aut pereat sermonis facilitas et simplicitas aut aliud incommodum inferatur, quod Bentleio in illo quo in accidit. Ita imbrem et cribrum, gravissimam utramque in ea sententia notionem, non potuit in arsi collocare poeta Pseud. 102 non plúris refert quám si imbrem in cribrum íngeras. Itidem Heaut. I, 2, 18 Quid nárrat? : : Quid ílle? míserum se esse : : Míserum? quem minus créderes? minus ut sine sententiae detrimento non potuit metrico ictu intendi, ita ipsa sententiae vi satis extollitur. Hinc etiam Andr. III, 2, 40 Scímus quam misere hanc amarit, nec opus est transpositione, ut misere sub ictum veniat, nec placet a Bentleio inita ratio: Scímus hanc quam mísere amarit: in principio enim positum pronomen oppositionem indicat et comparationem ad eam, quam minus amarit Pamphilus. Non minus incommode Bentl. ex paucis libris Eun. II, 3, 18 utilitatem praeposuit, quo inepta adeo nascitur sententia. Similiter peccavit ib. v. 80, cum te illum esse, quod in libris est, sperneret prae hac transpositione te esse íllum dicam, ut ridicule dicat Parmeno: ich werde dich für jenen ausgeben, quasi illum an alium Chaeream dici interesset: immo dicit: ich werde dich dafür ausgeben, et te, quod in thesi est, pondus sententiae habet. Omnino autem quum reputamus nobiscum, non scandendos sed viva voce recitandos fuisse scenicorum poetarum versus habendamque recitanti non ictuum magis quam sententiae rationem, quumque animadvertimus severae ictuum et notionum congruentiae permagnum versuum numerum obstare, vix obscurum esse nobis potest, quanta cautione et modestia in hoc genere utendum sit, ut, nisi certa ratio subsit — certa autem vel in hoc genere lubrico multa esse non nego — ab emendando abstinere praestet quam sanissimis versibus vim inferre. Ac quanta libertas histrionibus relicta fuerit, ut sententiae magis probe et penitus intelligendae quam arsibus et thesibus compensandis metroque exprimendo et intentendo operam darent, inde quoque perspicitur, quod quibus locis per sententiam, non iisdem etiam per metrum pausam vocis facere licet, qua re fieri non potest, quin sententia cogente saepe ibi subsistatur pausaque incidat, ubi metrum prorsus perverti videatur: ad quam rem demonstrandam cum omnes versus appositi sint, quos Ritsch. proll. p. 191 sq. ut etiam in pausa vocis raritatem hiatus ostenderet, congessit, in his duobus (Trin. 692. 710) praecipuam persuadendi vim inesse duco:

Quís me improbior perhibeatur ésse haec famigerátio.
Eódem pacto quo húc accessi apscéssero. Lesbon. I hac mecúm domum.

in quorum priore tantum abest, ut ésse haec, quod fit in scansione, in trochaeum (sive spondeum mavis) coalescere recitator possit pati, ut cum dixerit esse, quae vox non potest non pro trochaeo ad aures accidere, tum pausa facta haec inferat non ut arsim pedis proximi, sed ut suppleat thesim praecedentis pedis, ita vero suppleat, ut simul accentu logico intendi necesse sit. In altero autem versu, etsi persona mutatur interpunctioque intercedit, tamen in eandem arsim tres longae syllabae ro.

I hac conglutinantur. Hinc iure meo colligere mihi videor, cum histrioni quamcunque vocem in thesi depressam quotiens commodum videretur erigere liceret, non esse eos versus sine librorum scriptorum ope corrigendos, in quibus voces ad sententiam graviores non in arsi collocatae inveniantur, etsi cum leviores in arsi, graviores in thesi cubant notiones recte de vitio cogitari non nego, neque grammaticum verborum ictum ictu metrico pessundari ferendum duco: cuius utriusque exceptionis exemplum ex Hecyra affero IV, 4, 35 (ubi recte Bentl. non clám me habére pro eo quod Faernus reliquerat non mé clam h.) et IV, 1 58 (ubi ante Bentl. possét post pessimo ictu legebatur pro post pósset*). Hinc praeter necessitatem mutavit Bentl. Eun. I, 2, 49 initium senarii: ne hoc quídem tacebit Pármeno (scripsit neque hóc tac. P. ut hoc in arsi haberet), nam hoc histrioni erigendum relinqui ex eiusdem Eunuchi versu II, 3, 31 ne íd quídem (init. iamb. sept.) apparet. Nec récte idem Andr. III, 4, 10 ex uno libro égo quivi intellegere, maluit scribere quam reliquorum librorum scripturam quívi ego int. sequi. Quis porro quum Hec. III, 1, 14 (prius quam hánc uxorem dúxi, habebam alibi ánimum amori déditum) alibi, quod aliquam vim in ea sententia habet, in thesi ferendum duxerit, etsi facile sub ictum venire potuit (animum álibi), non ferat obolo Andr. II, 2, 32?

'Olera ac pisciculós minutos férre obolo in cenám seni,

ubi quod Bentl. férre in cenam oboló seni, oblitus est magis placuisse comicis poeticis versus exitum in cenám seni quam in cénam oboló seni, ut vel hoc nomine praestiterit optimorum librorum (Bemb. Victor.) scriptura Eun. III, 2, 45 cum ín mentém venit huic Bentleii transpositioni in méntem cúm venit.**) Ac ne oppositorum quidem vel in summa facilitate utrumque semper ictum recipere intelligas ex Adel. IV, 3, 8:

Atque ístaec eadem, quaé mihi dixti, túte dicas múlieri

qui verborum ordo ib. v. 13 redit: quaé mihi dixti (ubi quoque a Bentl. insertum delendum, cum versus in pausa orationis et mutatione personae hiare possit), qua re nec Andr. III, 4, 20:

Ibo ád eum: atque eadem haec quaé tibi dixi, dícam itidem illi : : Núllus sum.

tibi quae neque Eun. IV, 3, 13 (quí mihi mále volunt) míhi qui cum Bentl. transponendum puto. Non potuit sine totius sententiae immutatione utrumque oppositum sub ictum venire Adel. I, 2, 16, 17:

---

*) reliquit Bentl. Adel. III, 4, 44 quod vós ius cogit, íd voluntate ínpetret, ubi cum pronominis intentio sententiam pervertat necessaria est transpositio quod iús vos cogit.

**) qua re Andr. V, 1, 19 per numeros non tantum ex Bentleii coniectura versus exitus institui potuit: „vídi ancillam iurgantém. Scio" — sed etiám sic cum libris omnibus: „vídi iurgantem áncillam. Scio", nam quod Bentl. ad commendandam suam transpositionem affert, solere Terentium pronunciare ancíllam accentu in syllaba media, non verum est: legitur enim ea vox accentu in antepaenultima Eun. II, 3, 56. Phorm. III, 2, 26 et apud Plautum in Menaechm. 797. 801. Mil. Gl. 910. Stich. 432.

> Nullum húius factum símile. haec cum illi, Mício,
> Dicó, tibi dico. tu íllum corrumpí sinis.

Verum Andr. IV, 4, 10 Mys. Satin sánus, qui me íd rógites? Dav. Quem ego igitúr rogém?

eo magis tuebimur hanc omnium librorum scripturam adversus Bentleii mutationes mé qui id et quem igitur, quo certius est Bentleium haec non satis recte interpretatum esse. Mysis enim non eo est perterrita, quod se potius quam aliam interroget, sed quod rogitet, quae ipse norit: quare me nec facit oppositionem nec ictu donandum est. At Andr. IV, 5, 18 recte ex librorum scriptura: simul árbitror, iam aliquem ésse amicum et défensorem ei: nám fere — esse acuitur (Bentl. esse áliquem), cum subsit oppositio: quaeritur enim, utrum habeat Glycerium amicos, annon habeat. Nec Andr. V, 6, 3, 4:

> More hóminum evenit, út quod sim nactús mali,
> Príus resciscerés tu, quam ego illud quód tibi evenít boni.

Bentl. oppositionis rationem assecutus est. Etenim cum duo dicantur centraria, Davum malum nactum esse, Pamphilo bonum evenisse (quas quidem notiones ita intendit poeta ut in fine et versus et enunciati eas poneret), et prius rescivisse illud Pamphilum, quam hoc Davum, Bentleius deleta posteriore oppositione novam et ipsam aptam per se sed illi non praeferendam instituit, cum scriberet: quod sim égo nactus et quam ego tíbi quod.

Andr. IV, 1, 23 Fálsus : : Nonne tibí satis esse hoc vísum solidumst gaúdium?

Bentleio quum versus inconcinnus et impeditus videretur, haec coniectura placuit: Fálsus es: Non sátis tibi esse hoc sólidum visumst gaudium. Sed omnis inconcinnitas huc redit, quod alter pes est dactylus pro trochaeo, tertii vero pedis arsis soluta duas voces occupat (nónne ti — bí satis, nisi forte is quoque dactylus (bi satis) videtur, quoniam apud Terentium tibi interdum pro iambo esse negari non potest): quorum utrumque adeo frequens est, ut exempla afferre nihil attineat. Est autem vel st non minus adiectivo solidum quam participio visum adhaerere posse ex illis apparet, quae Ritsch. proll. p. 107 attulit. — In eadem scena bis praeterea praeter necessitatem mutasse videtur, nam neque v. 35 quicquam habet molestiae senarii initium nondúm scis (cf. II, 3, 14 ducás volo; III, 3, 20 iraé sunt), neque v. 48 recte in praeposito verbo posse offendit, quod cum summa vi efferendum esset, vix poterat alio loco collocari.

Andr. V, 1, 9—11:

> Pérpulisti me, út homini adulescéntulo
> 'In alio occupáto amore, abhórrenti ab re uxória
> Fíliam ut darem ín seditionem átque in incertas núptias.

Bentl. ne homini esset in thesi transposuit homini ut, sed potuisse hoc loco homini in thesi delitescere inde perspicitur, quod nullo sententiae detrimento etiam sine homini dicere licebat adulescentulo, quode vide quae Ritsch. proll. p. 254 sq. disputavit. Accedit, quod homini ne est qui-

dem plane in thesi: nam quod Ritsch. ibid. p. 258 scribit: „ubicumque iambicum vel pyrrhichiacum vocabulum brevis vox monosyllaba praecedat in arsi posita, huius vim arsis ad insequentes syllabas ita pertinuisse, eae ut non sentirentur tamquam delitescentes in arsi, sed ut coalescentes cum praegressa in trisyllabum vocabulum“, id quidem latius patere atque in anapaestica quoque et trium brevium vocabula vocem monosyllabam excipientia cadere existimo sat multis exemplis edoctus. Qua re non tantum cúm ego Andr. V, 4, 41 recte se habet (Bentl. cum égomet), sed talia etiam: út abii Menaechm. 1112; quaé hominem ignotúm conpellet ibid. 374; quá platea hinc aufúgerim ibid. 881; ín patriám ib. 1152; quémquem hominem attigerít profecto Truc. 2, 1, 17; ní properás ibid. 2, 2, 30; séd homines ib. 4, 3, 57; ínquam homini, ínpudens Eun. III, 1, 35 (sic Bembinus, hómini inquam Bentl. transposuit). Coniuncta autem haec sunt cum ea ratione, qua quadrisyllaba vocabula pronuntiari solebant. Quorum quae proceleusmaticum vel paeonem quartum efficiunt, legitimam pronuntiationem hanc fuisse Bentleius in Heaut. II, 3, 30 docuit: própemodum, périerim, ínopia, ítinera, múlieres, hábueras; invaluit tamen etiam altera ratio:

facílius (Truc. IV, 3, 32), malítia (ibid. 36), recídere (Hecyr. prol. 39).

Contra in paeone primo et choriambo magis frequentatur percúleris (Eun. II, 3, 88), obtígerit quam óbtigerit (Truc. II, 3, 23), commémini, convéniunt, advéniens quam cómmemini, cónveniunt, ádveniens. Iam cum vox monosyllaba anapaestico vel trium brevium vocabulo excipitur, quasi in unum vocabulum quattuor syllabae coalescere putandae sunt: hinc út abii, út homini pronuntiatur ut múlieres; ín patriám ut cónveniúnt, nec causae satis esse videtur, cur Pseud. 697 út aliquem hóminem strénuom transponatur áliquem ut, quem verborum ordinem sane omnes libri praebent in simili versu Bacch. 42. — Sed ut ad Andriae versus supra perscriptos revertamur, alia etiam offensio criticorum removenda est: tam enim molesta particulae ut repetitio fuit, ut Bentleius posteriore, Ritterus priore loco delendam eam esse censerent. At repetitionem et liberior sermonis familiaris consuetudo et nonnullorum exemplorum vis non contemnenda tuetur. Phorm. I, 3, 1 exclamat Antipho:

'Adeo rem redísse, ut qui mihi cónsultum optumé velit esse,
Phaédria, patrem ut éxtimescam, ubi eíus adventi vénit in mentem?

ubi ne Bentleium quidem repetitio sollicitavit, quae post longiorem parenthesin etiam necessaria esse potest, veluti Pseud. 579 sqq.

'Ita paravi cópias
Dúplicis, triplicis égo perfidias, út, ubi cum hostibús congrediar —
Maiórum meúm fretus vírtute dícam
Meaque índustria ét malitiá fraudulénta —
Fácile ut vincam, fácile ut spoliem méos perduellis méis dolis.

Aulul. IV, 10, 61:

Núnc te obtestor, Eúclio,
'Ut si quid ego ergá te inprudens péccavi aut gnatám tuam,
'Ut mi ignoscas éamque uxorem míhi des, ut legés iubent.

ubi utrobique ut in Vetere cod. esse Pareus testatur. Nec quisquam haesit in repetito tibi Amphitr. 534:

> **Núnc tibi hanc paterám, quae dono mi ílli ob virtutém datast**
> **Ptérela rex qui pótitavit, quem égo mea occidí manu,**
> **'Alcumena, tíbi condono.**

Quamquam non eo hanc animadversionem valere volo, ut defendendam existimem hanc nonnullorum librorum scripturam Phor. IV, 2, 7:

> **Dis grátias agébat, tempus síbi dari,**
> **Ubi Phaédriae se osténderet nihiló minus**
> **Amícum se esse quam 'Antiphoni —**

sic enim non cod. Regius tantum Bentleii, sed etiam non spernendus Halensis liber; reliqui tamen cum turpissimo hiatu posteriore loco se omittunt. Vitium recte et probante etiam Ritsch. proll. p. 326 sustulit Lachm. in Lucr. p. 161 altero versu Phaedriae esse, tertio amicum sese rescribendo. Nec Bacch. 777 ut, versu 780 demum recte illatum, teneri posse Ritscheliana horum versuum descriptione apparet. Sed in Andriae loco neutrum ut loco esse movendum exempla allata satis persuadent, et omnino omnia sana sunt, nisi cuipiam v. 11 alterum in delendum videatur.

Andr. III, 2, 23:

> **Sím. Certe énim scio. Dav. non sátis me pernosti étiam qualis sím, Simo.**

Bentleius aegre ferens me pérnosti etiam pronuntiari transposuit: pernosti me étiam, sed tantum abest, ut quicquam molestiae illud habeat, ut solum sit verum. Dixerat Simo, quia nosset Davum, suspicatum se esse non vere peperisse Glycerium, sed simulasse partum. Ad hoc Davus: tu qui nosse te dicis me, non satis pernosti, in qua sententia fieri vix potuit, ut non acueretur praepositio, in qua oppositionis nervus versetur. Eadem ratio est Eun. prol. 31 et 34 verborum negat et pérnegat atque Adel. III, 3, 38 nimium et pérnimium.

Andr. V, 4, 47:

> **Nisi quíd patér ait áliud (init. iamb. octon.)**

Bentleius sic venustiores fecisse ictus sibi visus nisi si quid páter ait fortasse poetae manum assecutus est, quoniam saepius in libris nisi si in nisi depravatur, sed defendi posse tralaticiae scripturae ictum tales versus probant, quales sunt Pers. 57 patér avos et 355 patér hominum ínmortalis est infámia. Eodem modo trochaici versus initium decurrit Adel. IV, 2, 14

> **'Age, tamén ego hunc ámovébo.**

Andr. V, 5, 3:

> **'Ego vitam deorúm propterea sémpiternam esse árbitror.**

Bentleii aures cum ictuum inconcinnitatem respuerent, hoc dedit de suo: 'Ego deorum vitam eapropter s. e. a., sed eapropter comici poetae non sunt usi, de ictibus autem ne timeamus

ea prohibent exempla, quae Ritsch. proll. p. 245 attulit, quibus addo Poen. III, 1, 37 Túa causá nemŏ ruptúrust, et ibid. III, 2, 7 Nam ístorúm nullus nefástust. Neque Hec. III, 5, 29 haerere debebat Bentleius in simili exemplo: néque alió pactó conpóni, nam étiam hos ictus usurpatos esse l. l. docuit Ritschelius.

Restat, ut dicam de Andr. II, 6, 6:

Simo. Potin és mihi verum dícere? Davus. Nil fácilius.

ubi Bentleius: „prima, ut vides, anapaesti syllaba Simonis est, duae alterae Davi. Satis invenuste.“ Hinc scripsit: dicere : : égo? nil fac. Mirum autem quod nec tentavit aut Phorm. V, 9, 7:

Auscúlta C. Pergin crédere? N. Quid ego óbsecro —

aut Eun. I, 2, 110:

In hoc bíduom Thaís vale Th. Mi Phaédria


quando vale de more pyrrhichius est, non iambus. Quanam ratione autem omnia id genus exempla interpretanda sint, hi Plautini versus ostendunt: Mil. Gl. 848. 1316. Trin. 584. 586. 941. Epid. III, 4, 49. Capt. prol. 11. Merc. 934. Pers. 485.

Numquam édepol vidi prómere. verum hóc erat.
Tibi salutem mé iusserunt dícere? : : salvaé sient.
Nam cértumst sine dote haú dare. quin tu i modo.
Meam néglegentiam. St. í modo. Le. nulló modo.
Súb solio Iovís? Sy. ita dico. Ch. e caélo? Sy. atque e medió quidem.
Reor ét peccatum lárgiter : : immo haéc east.
Negát hercle illic últimus, accédito.
Stúltus es. nolo ístuc quaeso dícere : : certum éxequist.
Quin tíbi me dico crédere : : dic bóna fide : iam líberast.

Plautina exempla si ante oculos habuisset Bentleius, quartum senarii pedem profecto non sic uti fecit dimensus esset: ceré ni, deré quid (in tertio enim exemplo vale legitimum iambum efficere putavit), quo nihil immodulatius cogitari potest. Immo díceré crédcré, prómeré, haú daré, í modó, lárgitér, últimús pro creticis veneunt ultima syllaba ancipite, cui in orationis pausa locum concessum esse hodie satis notum est et breviter explicavit Ritsch. proll. p. 185 sq. Quare omnis ubique emendatio inutilis, nisi quod Eun. I, 2, 110 invenusti in medio senario ictus sic fortasse removendi sunt: In hoc bíduom, mea Tháis, vale : : mi Phaédria.

Haec habui, quae de ictibus a Bentleio in Andria non recte mea sententia positis disputarem: in quibus quod saepissime a summi viri iudicio discesserim, si quis mirabitur, idem mihi

accidisse scito, quod Hermanno, qui in altero opusculorum tomo p. 264 verissime professus est haec: Ego quidem licet numquam non dicturus sim, quod semper professus sum, unicum Terentii sospitatorem esse Bentleium, tamen vix paucas in eo libro paginas esse arbitror, in quibus non inveniatur, quod aut non satis recte, aut minus considerate dictum sit. Quae tamen res etiam augere debet admirationem viri, qui quamvis in tanta errorum copia immortale ac plane divinum opus condiderit.



Schul-Nachrichten

von

Ostern 1856 bis Ostern 1857.



I. Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

PRIMA.

Ordinarius Herr Prorector Dr. Brix.

Lateinisch. 8 Stunden. Cic. de offic. l. I bis Mich., dann Tacit. Germania, zuletzt extemporirende Lectüre ausgewählter Stellen aus der dritten Dekade des Livius. Die Erklärung war theilweise lateinisch. Pror. Brix. 3 St. Horaz: Oden l. III u. IV mit Auswahl, epod. 2. 7. 13. 17 und Epistola ad Pisones. Die Erklärung war theilweise lateinisch. Mehre Oden wurden memorirt. Der Director. 2 St. Disputirübungen in lat. Sprache über Stellen aus Herod. l. IX abwechselnd mit der Besprechung der Correctur der vierwöchentlichen freien lat. Aufsätze. Pror. Brix. 1 St. Wöchentliche Exercitien und Extemporalia, zuweilen auch Uebungen in der lat. Versification. Der Director. 2 St.

Griechisch. 6 St. Plato's Apologie bis Mich., dann Herod. l. VII, 1—150. Pror. Brix. 2 St. Soph. Antigone nebst einer Einleitung über des Dichters Leben und Werke und die Bühne der Alten; Hom. Il. l. 9. 10. 12. Der Director. 2 St. Grammatik: Syntax bis zur Lehre über den Gebrauch der Modi nach Buttmann § 122—138; 14tägige Exercitia und Extemporalia; extemporirendes Lesen ausgewählter Stellen der Bücher IV und V von Xenophon's Cyropädie. Pror. Brix. 2 St.

Hebräisch. 2 St. Lectüre: das Buch Josua und die Richter. Gramm.: Wiederholung der verba quiescentia, nach Gesenius. Conr. Balsam. 2 St.